



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De presbyteris qui culpas peccantium reticent, vel minus dignè
poenitentes ad reconciliationem adducunt. c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Ut sacerdotes nulli poenitentiam iniungant ex corde, sed ex auctoritate. Cap. XCVI.

OMnibus his actis ventilata est ratio poenitentiae, ut sacerdotes certius intelligerent, quomodo confessiones recipere, & poenitentiam secundum canonicam institutionem poenitentibus deberent indicare. *Ex cōcil. Mogūti. cap. 24.*

Ut vnusquisque presbyter octo principalia vitia per ordinem sciat. Cap. XCVII.

Ventilata est ratio octo principalium vitiorum, ut vnusquisque diuersitate illorum sciat, & ab illis domino auxiliante se intelligat custodire, & aliis praedicare. *Ex eodē. cap. 5.*

Ut sacerdotes diligenter examinent confidentium peccata. Cap. XCVIII.

VT episcopi & presbyteri examinent qualiter confidentibus peccata diiudicent, & tempus poenitentiae constituent. *Ex eodē. cap. 6.*

Ut singuli presbyteri capitula auctoritatiua habeant ad succurrendum poenitentibus. Cap. XCIX.

VT vnusquisque presbyter capitula habeat de maioribus, vel minoribus vitiis, per quae cognoscere valeat, vel praedicare subditis, ut caueant ab insidiis diaboli. *Ex eodē. cap. 26.*

De presbyteris qui culpas peccantium reticent, vel minus dignè poenitentes ad reconciliationem adducunt. Cap. C.

VT nemo presbyterorum xenium, vel quodcunque emolumentum temporale, imò detrimentum spirituale à quocunque publicè peccante, vel incestuoso accipiat, ut episcopo, vel ministris eius peccatum illius reticeat: nec pro respectu cuiusque personae, aut consanguinitatis, vel familiaritatis, alienis communicans peccatis, hoc episcopo innotescere detrectet, nec à quoquam poenitente, aut gratia, aut fauore, aut munus suscipere praesumat, aut minus dignè poenitentem ad reconciliationem adducat, & ei testimonium reconciliationis ferat, vel quocunque liuore alium quolibet dignius poenitentem à reconciliatione remoueat: quia hoc symoniacum, & Deo & hominibus contrarium est. *Ex decr. Alexā. dri papae*

De illis qui truncationes membrorum fecerint. Cap. CI. Ex poenitentiāli Romano.

QUI per rixam ictu debilem, vel deformem hominem fecerit, reddat impensas medici, & medium annum